

## DE FILIIS DEORVM (PIND. *ISTHM.* III, 18 b Snell–Maehler)

Ad Pindari carmina tractanda cum mea sponte, tum praecipue pietate gratissima erga praecoptorem magnificum, qui, ut plura omittam, per quinque totos annos in seminario privatissimo Pindari carminibus interpretandis usque fere ad diem supremum operam dedit. ductus accessi, ut cum praceptoris tum seminarii eius memoriam recolerem. Itaque hoc opusculum quamvis parvum in optimi magistri monumentum veluti florum sparsio sit.

Locus, qui attentione dignus visus est, in ipso carminis Isthmii tertii fine versum ultimum concludit, quod carmen Melisso athletae Thebano, Cleonimidae genere, qui de matris parte Labdaci e posteris unus fuit, a poeta dedicatum est. Quod carmen insequenti quarto corollarium lepidum ac minime ineptum esse satis constat.<sup>1</sup>

Argumentum carminis in hoc cardine versatur. Melissus Isthmiis ludis de pancratio, Nemeis autem de equorum certamine victoriam reportavit. In ipso carminis tertii initio poeta, duplicitis victoriae mentione facta, Melissum maiorum gloriae nullam ignominiam imposuisse dicit. Porro tamen lectorem admonet saeculum volventibus diebus modo hoc, modo illud mutare solere, deorum solum filios invulnerabiles manere (III, 18–18 b):

αἰών δὲ κυλινδομέναις ἀμέραις ἄλλ' ἄλλοτ' ἐξ  
ἄλλαξεν. ἄτρωτοί γε μὰν παῖδες θεῶν.<sup>2</sup>

Itaque sententiam pervulgatam aoristo gnomico amplificatam prae oculis habemus,<sup>3</sup> cuius ratio infra in versibus 34–35 b explicatur: “sed uno die belli procella nive aspera focum beatum quattuor viris privavit”. Quibus dictis, poeta Melissi generis felicitatem redintegratam esse fert. Quos quat-

<sup>1</sup> U. v. Wilamowitz-Moellendorff. *Pindaros* (Berlin 1922) 336–340. Nonnulla de libris manuscriptis, quae ad rem spectant, Er. Thummer (Pindar. *Die isthmischen Gedichte* II [Heidelberg 1969] 55) praebet. Fac videoas etiam Pindari editionem ab Aimé Puech in lucem prolatam (Pindare. *Isthmiques et fragments*. Texte établi et traduit par Aimé Puech. IV [Paris 1961] 33–34).

<sup>2</sup> Vide Aug. Boeckhium in Pindari operum editione qui ad litteram fere vertit: “invulnerabiles soli filii deorum” (*Pindari opera quae supersunt* II, 2 [Leipzig 1821] *ad loc.*); Aimé Puech (*op. cit.*, 43): “seuls, les enfants des Dieux sont invulnérables”; Er. Thummer (*op. cit.* I [Heidelberg 1968] 171): “...unverletzbar sind wahrlich nur Kinder der Götter”.

<sup>3</sup> De potestate temporis vel saeculi omnia mutandi inde a Homero usque ad extrema antiquitatis tempora tam multa inveniuntur. ut ab eis enumerandis abstinendum esse videatur. nisi quod illud Platonis (*AP* IX, 51). quod. nullo impellente. per se in memoriam cuiusque veniat. etiamque Vergilianum notissimum (*Ecl.* IX, 51) retineri non possumus. quin commemoremus.

tuor Melissi propinquos, qui memorantur, nuperrime, si temporum rationes colligendae sunt, Persarum belli temporibus, quorum poeta ipse testis ocularatus fuit, cum Thebani Persarum partes tenuissent, clade accepta, diem supremum obisse putandum est.

Attentionem pars altera versus 18 b movet: ἄτρωτοί γε μὰν παῖδες θεῶν. Quamquam praedicatum ἄτρωτοι sine dubio consanguineis Melissi defunctis opponitur, circumlocutio ipsa παῖδες θεῶν nonnihil difficultatis ad explicandum praebere videtur. Iam antiquitus Pindari interpretes hoc loco fretos non deorum filios, sed deos ipsos cogitavisse, nec non Graecos ipsos, qui ut “Graecorum filii” (Ἐλλήνων παῖδες) loco inferiore in versu 54 b nobis occurruunt, ex scholiis Pindaricis patet.<sup>4</sup> Recentiores in hoc loco explicando viam eandem ingrediuntur. Sic Fr. Mezger, qui hic interpretum antiquorum vestigia premit, imprimis nominandus est.<sup>5</sup> Etiam Aug. Boeckhius in versione Latina non aliter accipere videtur, cum filios deorum solos invulnerabiles esse scribat. Idem Jo. Pompeius persuasum sibi habuisse videtur, qui Mezgerii explicationem (“deos ipsos” dico) prae se fert. Er. Thummer,<sup>6</sup> sublatis praecessorum nominibus, in sententia eadem stat, quippe qui dicat pro certo esse Pindarum non deorum hominumque, sed veros sincerosque deorum filios i. e. deos ipsos in animo cogitare. Cui tamen interpretationi Platonis locus notissimus repugnare videtur, ubi revera deorum filiis cum nymphis vel mulieribus furto conceptis agitur,<sup>7</sup> quem locum Pindari interpretes admirandum in modum silentio transmiserunt. Unde colligi potest duplicem vim hanc circumlocutionem habere posse.

Quo quaestio planior ac luculentior sit, eiusmodi locutiones aliunde nobis expetendas esse ducimus, imprimis illud Homericum νῦες Ἀχαιῶν (*Il.* I, 162), quod Achaeos significare quis est, qui neget. In eodem quidem sensu poeta locutione κοῦροι Ἀχαιῶν saepius utitur, quam Eubulus in Κεκροπιδῶν κόροι mutavit (Athen. II, 47 c). Quae ratio gentes ac nationes periphrastice nominandi posterioribus temporibus adeo inveteravit, ut apud Herodotum, qui multis in rebus a Homero pendet, eius generis exempla etiam in eis locis, ubi haec alio modo exprimi potuissent, haud raro invenirentur (Λυδῶν παῖδες; Αἰθιόπων παῖδες; Ιώνων παῖδες I, 27; III, 21 et alias). In Homeri carminibus est etiam eiusmodi genus circumlocutionis, in qua adjективum in gen. pl. positum substantivi vim habet, utpote δυστήνων παῖδες (*Il.* VI, 127;

<sup>4</sup> A. B. Drachmann, *Scholia vetera in Pindari carmina* III (Leipzig 1927) ad loc.: ὀντὶ τοῦ οἱ θεοί, ὡς καὶ παῖδες Ἐλλήνων.

<sup>5</sup> *Pindars Siegeslieder* erklärt von Friedrich Mezger (Leipzig 1880) 282.

<sup>6</sup> *Op. cit.* II, 64.

<sup>7</sup> Plat. *Apol.* 15 d: εἰ δ' αὐτὸι δαίμονες θεῶν παῖδές εἰσι νόθοι τινές η̄ ἐκ νυμφῶν η̄ ἐκ τινῶν ἄλλων κτλ.

XXI, 151).<sup>8</sup> In necessitudinibus deinde notandis periphrasin ex eodem atque illo vocabulo compositam poetae haud inviti usurpant, utpote παῖδων παῖδες (Hom. *Il.* XX, 308; Tyrt. 9, 30; Pind. *Nem.* VII, 100). Alia denique ratio artificum designandorum satis usitata est, qua plerumque solutae orationis scriptores etiamtum utuntur, cum res uno vocabulo exprimi possit. Quod genus dicendi in duas partes dividi apparet, quarum altera dei alicuius nomine expletur, sicut οἱ παῖδες Ἀσκληπιοῦ Platonis (*Rep.* III, 408 b), altera, quod saepissime obversatur, proprio artificis vocabulo in gen. pl. posito exprimitur. Cuius generis circumlocutionum exempla prae multitudine eorum per pauca proferenda videntur. Ita Plato in *Legibus* (VI, 769 b) pictores designaturus ζωγράφων παῖδας dicit.<sup>9</sup> Eodem modo παῖδες φιλοσόφων (Luc. *Amor.* 49), ρήτορων (Luc. *Anach.* 19), γραφέων (Luc. *Zeux.* 5), ἰατρῶν παῖδες (Luc. *Hist. conscr.* 7) nobis occurunt. Quae omnia artificum discipulos significant, qui apud magistrum eorum filiorum loco sunt.

Quae exempla multiplicari possent, nisi quae iam dicta sunt, ad huius periphrasis usum ac rationem demonstrandum satis esse viderentur. Quae cum ita sint, ad initium redeamus ac videamus, qui haec circumlocutio (παῖδες θεῶν scilicet) de ceteris differat. Si memoria repetiverimus, apparebit ceteras cum genetivo substantivi gentem, necessitudinem vel artificem designantis copulari, nostram autem seorsum ita stare, ut, cum illae sensu et usu stabili, ut ita dicam, ac firmato sint, fierique non possit, quin ab auditoribus dupli sensu nedum perverse accipi possint, haec autem in sensu principali praecipue parentum liberos non parentes ipsos notet, sicut ex Platonis loco laudato patet. Si hoc veritati non repugnat, quid est quod interpres antiqui nec non recentiores poetam deos ipsos dixisse contendant? Nam duplex deorum filiorum genus cum deos a deis genitos (Apol-

<sup>8</sup> Eius generis locos silentio praetermittimus, ubi vocabulum παῖς vel παῖδες cum gen. sing. coniungitur, sicut in Herodoti *Musis* "Ορκον παῖς legitur (VI, 86 γ 2) vel apud Homerum παῖς παῖδος (*Il.* XX, 308; *Od.* XIX, 404) et similia. A quo usu circumloquendi ne Pindarum quidem abhorre fatendum est, qui ἀμπέλου παιδί vini loco positio mirum quantum concinne utitur. Non aliter res se habet, si locum (*OI.* XI, 1–3), ubi de imbribus nubis filiis pluvialibus agitur, vel alias (*OI.* XIII, 6–8), ubi tres Themidis filiae aureae representantur ibidemque non multo post (*OI.* XIII, 14), cum poeta Corinthios Aletae, Herculis filii, liberos nuncupat, tractemus.

<sup>9</sup> Qui locus Platonis olim a praeceptore nostro carissimo, cuius memoria nunc a discipulis eius opusculis collatis celebratur, in scholis illis notissimis, diligentissime, ut mos eius fuit, observatus est, Alexandro C. f. Gavrilov v. d., qui lectionum Platonicarum participes assiduus fuit, teste. Nam imprimis quaerebatur, an haec locutio ex fonte Hebraico profluxisset, sed hoc parum probabile visum est. At si quis has et eiusmodi locutiones spiritum Hebraicum olere sibi persuasum habeat, nihil obstat, quin lexica G. F. Kittel consulat (*Theological Dictionary of the New Testament*. VIII [Michigan 1972 (2<sup>1995</sup>)] 346–347).

linem Dianam Athenamque dico), tum deorum deinde subolem cum mulieribus mortalibus vel contra ex dearum cum viris concubitu prognatam utpote Herculem et Aeneam fuisse, quis est qui nesciat. Attamen inter ipsos deos eorumque filios a dearum concubitu procreatos parum interest. Itaque in hoc loco explicando hoc solum quaerendum est, utrum de veris deis, an potius de semideis agatur.

Itaque animavertendum est, quid praedicatum sit, quo poeta noster sententiam amplificat. Nam vocabulum ἄτρωτοι nisi ad veros deos, qui soli invulnerabiles aeternique feruntur, quia ne Hercules quidem dolore ac laboribus caruit, pertinere non posse, non est quod dubitemus. Quod si noster alio quodam praedicato, quo sententiae vis minus restringeretur, usus esset, lectores in hoc loco interpretando de semideis cogitare possent. Quae periphrasis a temporibus carmina Homericā antecedentibus originem ducere ex hoc videri potest, quod ceteris circumlocutionibus epicis, quae supra comminoratae sunt, satis congruit ac fortasse ex fonte eodem defluxit. At nobis verisimilius esse videtur poetam formulas Homericas imitandi cupidine ductum sermonis pervagati locutione formulae epicae loco usum esse, quia in versu heroico propter prosodium nusquam legitur, qui versus hanc locutionem nisi per hyperbaton, dissoluta formula ac prorsus deleta, capere non potest, et locus Platonis docet hanc verborum conformatiōnē in usu promiscuo fuisse.

Andreas Tischow  
*Universitas Petropolitana*

Рассматривается пассаж Пиндара *Isth. III, 18–18 b*, где внимание привлекает выражение ἄτρωτοι γε μὲν παῖδες θεῶν. Античные схолиасты и комментаторы нового времени интерпретируют выражение παῖδες θεῶν как “сами боги, а не их дети”. Сочетание παῖδες θεῶν сходно с гомеровским νῖες Ἀχαιῶν и описательными обозначениями этносов и профессий в греческой прозе (напр. Λυδῶν παῖδες = Λυδοί Hdt. I, 27; ζωγράφων παῖδες Plat. *Leg.* VI, 769 b и т. д.). Однако выражение παῖδες θεῶν допускает и непосредственное понимание: “дети богов”, подтверждением чему служит место Платона (*Apol.* 15 d), ранее не привлекавшееся к рассмотрению комментаторами Пиндара. Таким образом, выражение παῖδες θεῶν может означать как самих богов, так и детей богов, рожденных от браков богов с богинями, а кроме того – детей богов, зачатых со смертными, т. е. полубогов. Между первыми и вторыми нет значительного отличия, и, следовательно, интерпретация данного места требует выбора между богами и полубогами. Но ведь ясно, что παῖδες θεῶν Пиндара не может означать полубогов, поскольку они не являются ἄτρωτοι. Скорее всего, παῖδες θεῶν у Пиндара перифразически описывает самих богов.